

Miliaria accuratius descripta / a Jacobo Henry.

Contributors

Henry, James, 1798-1876.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Dublinii : Typis Gul. Holden, [1832]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/m2ebq9c7>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

M I L I A R I A

ACCURATIUS DESCRIPTA.

1. Multùm et diversè disseruerunt medici de morbo Miliario ; ad hunc tamen usque diem nulla ejus adumbratio simul plena et fidelis publici juris est ; nempe quòd auctores plus operæ dederint certando num morbus esset essentialis sui que generis Miliaria, quam, (labori minùs ambitioso, hominibus tamen magis profuturo,) symptomata ejus causasque indagando, et veram historiam enarrando. Lacunam pro virili explere, omnique ferè controversiâ missâ, plenam et fidelem ipsius morbi imaginem depingere, in animo est.

2. Morbus dicitur Miliaris similitudine ductâ a Milio herbâ, quia a seminibus Milii non multùm abludunt vesiculæ a Miliariâ in cute genitæ. Ut luculenter compareat similitudo necesse est auferatur tegmen semini a corollâ datum. Ablato tegmine enitescit similitudo inter semen nudum Milii minimum, subalbidum, penè sphericum, et vesiculam tenuem Miliaris tres vel quatuor dies natam, et, rubedine basis jam evanidâ, speciem albidam præ se ferentem.

3. Tam acutè quam chronicè grassatur Miliaria. Acutæ febris major est, symptomata graviora, exitus, præsertim morbo epidemicè sæviante, haud raro lethalis. Chronica, fere semper boni ominis, adeò mitis est nonnunquam, ut vix et ne vix quidem febricitet æger, qui consuetis muneribus vacat nullo vexatus incommodo, nisi debilitate identidem ingravescente, serieque eruptionum modo non perpetuâ.

Miliaria 4. Periodus febrilis eruptionem Miliariae acutae
Acuta. nunquam non prægrediens vel longior vel brevior sæpius tamen octo dierum est; ultra diem quindecimum raro extenditur. Periodum introducit rigor pomeridianus; rigorem excipit ardor; ardorem verò sudor copiosus matutinus. Rigor nunc levis est brevique dimittit; nunc ita graviter incumbit ut non pedes solùm et crura usque ad media femora, sed manus etiam atque brachia juxta humeros, per horas duas vel tres nullâ arte calefacienda frigescent. Rigor febris primus, aliquando etiam secundus, verus est, cum horrore et tremore; reliqui neque horrore neque tremore, solâ artuum frigiditate insigniri solent. Sudoris, quo solvitur paroxysmus, odor gravis est et, uti dicitur, "acescens." Ibi uberior ubi magis frigebat sub rigore cutis, adeò scatet sudor juvenibus nonnullis nunc primum Miliaria correptis, ut vapor e corpore nudo emanans, stragulis subito amotis, imaginem densæ nubeculæ referat. Ob sudorem uberrimum nomina morbo indita sudor Miliaris et sudor Picardiæ.

Rigor, ardor, et sudor simul duodecim ferme horarum sunt, rigore superveniente ad secundam ferè horam pomeridianam, et somno inquieto obrepente sub finem sudoris postero mane. Subsequitur remissio symptomatum per horas duodecim, febre denuo ingravescente ad eandem horam secundi diei, et eodem modo quo pridie remittente sub mane proximo. Haud rarò tamen et exacerbationes et remissiones minus ad normam sunt, neque redeunt nisi per intervalla inconstantissima. Remissio, quæ assueto Miliariae longior, eâdem nunc primum correpto brevior est. Ille, velut qui verâ intermittente laborat, per intervalla penè expers febris vivit; huic continuâ quasi febre fatigato, hora optata remissionis vix paulum quidem levaminis affert. Febre indies ingravescente lingua fit arida, tremula, et, uti labra osque internum fere totum, obsita aphthis, easdem subituris mutationes, quas aphthæ lactantium. Dolori capitis accedit noctu nonnihil delirii, interdiu vertigo adeò intensa ut ægro obstet quo minus stet vel quam brevi erectus. Oculos, qui languidè nitent et speciem referunt ebrietatis simul et cupiditatis, identidem queritur ægrotus obcæcatus densâ quasi caligine. Vomitus, nisi epidemica sit Miliaria, rarius urget. Cathartica vel lenia, dum solvunt alvum, leipothymiam movent; quare bene cavendum ne sub alvi solutione æger sedeat erectus. In

gravioribus paululum modò urinæ, eademque vel rubra vel turbida. In mitioribus urina limpida et plus æquo abundans. Subsultus est musculorum ferè continuus; debilitas summa, typhoideæ instar.

5. Incerto febris die, qui modo non semper intermedius inter secundum et decimum quintum sæpius octavus est, eruptio papularum Miliariarum fit in cute. Eruptionem proximè præcedit exacerbatio gravior, quam rigor, vel dolore lateris, vel angustiis respirationis et anxietate animi, vel demum vertigine vehementique cephalalgia notabilis introducit, solvit verò sudor olidus, uberrimus. Regio cutis eruptione primum obsidenda pruritu et "stupore pungitivo"^(a) tentatur, atque illicò papulis minimis lætè rubris (Miliariâ rubrâ antiquorum) quasi sabulo tenui impacto scabra est. Postridie in apicibus papularum jam majorum et eveciorum liquor pellucidus ope microscopii simplicis est detegendus. Liquor primò fit turbidus, dein albidus, brevique eò adaugescit ut totam impleat papulam, quæ, diebus aliquot elapsis et rubedine basis prorsus evanidâ, speciem induit pustulæ exiguæ, sphericæ, cui color vel lactis, vel margaritæ, vel nudi seminis Milii. Hoc modo maturari solent papulæ majores, et quibus basis rubrior. Papulæ minores et quibus minus rubra basis alio quodam modo maturantur, abeuntque sine morâ in vesiculas, ob tenuitatem pelluciditatemque et mollitudinem ægrius in cute distinguendas, eòque haud rarò tam ægrotum quam medicum fallentes. Eruptio primum obtinet ad latera colli, dein in regione universâ pectoris, præsertim ad mammas; paulò post ad carpos malleolosque, ad femora et brachia interna, regionemque dorsalem et abdominalem; postremò in facie, et digitis tam manuum quam pedum. Ita, in paucioribus tamen exemplis, iisque gravioribus, tota ferè corporis superficies obsidetur vesiculis, nonnunquam (uti ipse vidi) hîc et illîc confluentibus. In exemplis frequentioribus cervicem solam, vel pectus, vel demum carpos malleolosque occupant vesiculæ, quæ rarius in facie efflorescunt, ibique minus confertæ.

Nonnullis eruptio Miliaria protinus ab ejus ortu est vesicularum absque basi et colore, solâque lymphâ pellucidâ turgentium; quod rarius accidit nisi iis qui antea morbo

(a) Allionius.

laboraverint. Nomine Miliariâ Albâ, vel Purpurâ Albâ, vel simpliciter Purpurâ designabant antiqui cum vesiculas hasce pellucidas, tum illas liquore lacteo gravidas.

Diebus aliquot elapsis liquor vesicularum maturatarum vel absorbetur vel sacculo rupto effunditur; liquorem sæpius effundi, sacculo vel spontè vel fortuitò rupto, arguit foramen minimum in medio squamulæ circularis albæ nunquam non in cute per aliquod tempus restantis post vesiculam exsiccata(m).^(b)

6. Interea die febris incerto, sæpius autem dum maturantur primæ eruptionis vesiculæ, altera eruptio, simili exacerbatione annunciata et easdem quas prima mutationes subitura, efflorescit.

In morbo boni ominis symptomata febrilia post unam vel alteram eruptionem benigniora fiunt; remissiones longiores, pleniores sunt, exacerbationes mitiores; neque rarò e secundâ statim vel tertiâ eruptione convalescit æger; sæpius tamen eruptiones longo ordine sequuntur, et vix tertius mensis a primordio febris absolutus dat cutem vesicularum expertem, atque ægroto pristinas vires reddit. Epidermide inter convalescendum defluente cutis quasi decorticata videtur.

Morbi mali ominis exacerbationes graviores sunt, remissiones vix discernuntur. Eruptione unâ vel alterâ factâ in pejora ruunt omnia, fatumque annunciat (tertio vel quarto die si morbus sit epidemicus, paulo serius si non,) vel delirium vehementius, vel coma profundius, vel angustię respirationis maximæ.

Nonnunquam ex inopinato advenit mors Miliariâ gravi laboranti, qui, dum omnia bene se habere videntur, angustiis respirationis dein morte ipsâ correptus, vel inter loquendum, vel inter cibum capiendum, vel demum in lasano animam efflat. Non temerè igitur Burserius, cujus Miliaria descripta, quamvis antiqua, longè omnium præstantissima, “Ego quidem non novi fortasse morbum isto fallaciorem ac magis infidum, ita ut quando is mihi curandus est, nunquam minus securum, nunquam magis sollicitum me sentiam.”^(c)

(b) Lympha vesiculæ Miliarie sub cute insitæ nec febrem nec inflammationem, nedum vesiculam gignit. Vide Stoll (Rat. Medendi, P. 7. P. 362.) Lepaulmier (Arch. Gèner. de Med. v. 12. P. 454.)

(c) Burserius de Morb. Exanth. § 410. Haud secus Etmuller (Opera. Tom 1. P. 257. Lond. 1688.) “Affectus acutus non rarò præceps est, qui, dum maxime videtur blandiri, etiam ex levissimo errore subito jugulat.”

Miliaria
Chronica.

7. Qui semel Miliaria laborarunt ad eam procliviores in futurum sunt. Nonnullis utique fæminis ita facile recidiva est eruptio ut constitutionem habere Miliariam videantur. Has ex quam levissimo vel corporis vel animi labore excipere solent accessiones, quas annunciabat vel frigus artuum sudore resolutum, vel cephalalgia cum vertigine, vel præcordia oppressa, vel oculi nonnihil obcæcati, et quibus ritè succedunt ad collum vel pectus vel denique ad carpos malleolosque aliquot vesiculæ Miliaria ut plurimum pellucidæ omnisque rubedinis expertes. Eruptione factâ protinus decedit febris; pulsus, qui sub paroxysmo vix nonaginta excedebat, ad normam redit; lingua penè nitida, appetitus et dejectiones naturales fiunt; restat tamen debilitas diuque vexat ægram.

Miliaria chronicæ accessio vel minor vel major est. Minor rarius producit ultra unam aut alteram exacerbationem, unamque vesicularum efflorescentiam, et vix vetat quin ægra solennibus occupationibus vacet. Accessio major nonnisi plurimis exacerbationibus et vel unâ vel pluribus efflorescentiis definitur, ægram ita imbecillam dimittens ut vix loqui nedum ambulare vel in pedibus consistere valeat.

8. Acuto morbo laboranti optimè consultum erit si ab omnibus abstinence quæ magnopere vires vel excitant vel deprimunt. Neque igitur venam secueris, neque drastica administraveris, neque largè dederis vel vinum vel opium vel mercurialia vel antimonialia; ægrotum vero posueris in cubiculo ampliori, diemque fenestris clausis ademeris ne retina Miliarii lumine clariore offendatur. Sub frigore fomenta calida membris admoveris, leniaque porrexeris cardiaca, ceu camphoram cum acetate vel carbonate ammoniæ. Sub ardore haustus frigidulos dederis, et aera liberum extrinsecùs vocaveris, timidiùs tamen. Ad finem uniuscujusque exacerbationis vespertinae extractum hyoscyami cum aloe si astricta fuerit alvus; sin soluta, aliquot grana pulveris Doveri administraveris. Vertigini, cephalalgia, angustiis respirationis, quietem tam animi quam corporis, hirudines, extractum stramonii, ante omnia vero vesicatoria opposueris; diarrhœæ vesicatoria, catechu vel kino, et tincturam opii.

Convalescentem firmaveris medicamentis tonicis, ceu ser-

pentariâ, cinchonâ, ferro, acidis mineralibus; magis autem cibo lautiore, vino: gestatione imprimis, dein ambulatione sub dio, postremo peregrinatione quæ, valetudinariis fere omnibus profutura, nulli æquè prodest ac Miliario.

Quæcunque convalescentem ex acutâ confirmant, chronicâ Miliariâ laboranti prosunt omnia, imprimis peregrinatio, quæ non raro sufficit ipsa ad solvendam morbi accessionem.

9. Miliariam vel gignunt vel genitam alunt exasperantque 1^o tristes animi affectus; 2^o labor corporis longiùs protraëtus; 3^o regimen calefaciens quod dicitur. Præ cæteris igitur infesta est puerperis utpote quæ extremam animi anxietatem unâ cum summo dolore et labore corporis patiantur, olim vero iisdem regimine calido utentibus exitiosissima fuit. In eam proniores sunt qui cute tenui, albidâ, tenerâ induuntur, et quibus simul animus mobilis; quapropter fæminas quam viros, atque inter fæminas delicatiores priùs adoritur.

Miliaria 10. Constitutione quam dicunt aeris hucusque Epidemica. parum investigatâ, Miliaria, sicut morbi alii complures, epidemica fieri solita est. Ita Lubeci grassabatur anno 1648 (^d): Lipsiæ, 1652-3-4-5 (^e): per omnem Saxoniam sæpius in parte priori sæculi decimi octavi(^f): ad idem

(^d) Teste Neucrancio "de Purpurâ" citato a Burserio, namque librum ipsum Neucranticum nusquam inveni.

(^e) "Historia medicinalis novum istum puerperarum morbum continens qui ipsis 'der Friesel' dicitur," a Godofredo Welschio. Lips. 1655. Apud Haller Disput. Med. Tom 5. § 174.

Est vivida descriptio Miliarie puerperis ita infestæ ut "jugulum plane reipublicæ petiisse visum fuerit." Quod intererat inter hanc epidemiam, et Scarlatinam, morbillos quasve alias epidemias ita luculenter exposuit Welschius ut haud sine admiratione apud Bateman nostratem lego Welschium illâ historiâ non Miliariam sed scarlatinam expressisse. De libello Welschii ita loquitur illustr. Haller, "Memorabilis libellus incunabula novi morbi tradit qui ab eo tempore per septentrionalem Europam tyrannidem suam extendit neque australi penitus parcat, cum Regnam Sardinie non ita dudum extinxerit. Lipsiæ fere anno 1652 primum innotuit jam tunc sævus et in puerperas inclemens. Descriptio non multum ab eo morbo distat, quem toties in Germania vidi carissimis mortalibus funesto et quo ipse penè oppressus fui," Hall. Disp. Med. Pr. Tom 5. Index.

(^f) Teste Hoffmanno, Med. Rat. (in sectione scil. de Febre Purpuratâ.)

ferè tempus Francofurti ad Mœnum^(g): Monte Belligardo, 1712^(h): Petropoli, 1735⁽ⁱ⁾: Argentorati, 1734-5^(k). In Picardiâ, 1773^(l); 1791^(m); 1821⁽ⁿ⁾. In Sueciâ, 1770^(o). In Nortmanniâ, 1779^(p). Chamboniæ in Aquitaniâ, 1776^(q). In Pedemontio et Occitaniâ, 1782^(r).

Insulis Britannicis incognita ante sæculum proximè præteritum Miliaria frequentior erat Londinii^(s) ad initium, Dublinii^(t) verò ad finem ejusdem.

(g) Eodem Hoffmanno teste, Ibid.

(h) Acta Helvet. Tom. 2. P. 76.

(i) Weitbrecht de febrili constitutione petechizante Petropoli anno 1735 grassante. Apud Haller, Disp. Med. Tom. 5. P. 397.

(k) Salzmann de historia Purpuræ Miliaris albæ Argentoratum infestantis annis 1734-5. Apud Haller. Disp. Med. Tom. 5.

Theoriâ suâ obœcatus Bateman, in hac epidemiâ uti in Lipsianâ, nihil videt nisi Scarlatinam, quanquam "vesiculæ transparebant, et chrystalli aut ramentorum adamantinorum instar splendebant.

(l) Tessier, Mémoire sur la suette qui a regné à Hardivilliers en Picardie, Mai, 1773. Mém. et Histoire de la Sociét. Royal. de Méd. de Paris, 1777-8.

(m) Vide "Instruction sur le traitement de la Fièvre Miliare qui est epidémique dans le departement de l'Oise, par M.M. Poisonnier, Andry, et Jeanroy, commissaires envoyés sur les lieux par la Société de Médecine, et M.M. Marsau et Rocques médecins de Beauvais chargés de traitement de cette Maladie, publiée par ordre du directoire de departement de l'Oise (1791). Fourcroy, Med. éclair. Tom. 2. P. 49.

(n) Rayer, Histoire de l'Epidemie de suette Miliare qui a regné en 1821 dans le departement de l'Oise. Svo. Paris.

(o) Schulzenheim. (Comm. Lips. v. 17, P. 151.)

(p) Varnier, Essai sur la Fièvre Miliare qui règne souvent dans plusieurs cantons de la Normandie. Mém. et Hist. de la Soc. Royal. de Méd. de Paris, 1779.

(q) Baraillon sur la Fièvre Miliare. Mém. et Hist. de la Soc. Royal. de Méd. de Paris, 1776.

(r) Pujol, Mémoire sur la Fièvre Miliare qui regna en Languedoc et dans les provinces limitrophes durant le printemps de 1782. Pujol, opera, a Boisseau. Tom. 3.

(s) Vide Hamilton (de Febre Miliari, Lond. 1710,) qui Britannorum primus febrem Miliariam literis dedit, nisi, (quod adhuc inter medicos ambigitur,) eam tetigerit Sydenham, "schedulâ monitoriâ de novæ febris ingressu."

(t) "From 1772 to 1774, in Dublin, Miliary Fevers were very frequent among lying-in-women, and before that time old practitioners informed me that they seldom met with them. Wm. Dease, Observations on Midwifery, Dublin, 1783. P. 199.

Vide quoque Carolum Quin de febre Miliari apud Webster. Med. Pr. Syst. Tom. 1. P. 491.

Quemadmodum febris typhus, dysenteria, cholera morbus, et ferè omnes epidemiæ, sic Miliaria aliis regionibus crebrius diutiusque ingruit, alias autem vel nunquam vel quam rarissimè perstrinxit. Hac utique ratione Parisii ipsi ad hunc usque diem penè intacti manent morbo quo adeo infestabantur haud ita pridem aliæ quædam partes Galliæ ut iis endemica videretur.^(u)

11. Qui secum reputans Miliariam, nunc diei regimine antiphlogistico et mitiorem et rariorem factam, eâ fuisse olim malignitate sub regimine calefaciente ut civitates penè depopularet, neque minus quam typhus vel ipsa pestis metum gentibus incuteret, meminerit simul nullum non morbum, Miliaria epidemicè sæviante, Miliariam audire, epidemia verò extinctâ, qui sparsim occurrunt casus vel omnino fallere vel ad aliud genus morborum relegari, ille facile colliget, quare nomen Miliariae alias celebre et in ore omnium sit, alias (uti nunc temporis Dublinii) rarò vel inter medicos proferatur. Neque aliâ ratione seculo decimo septimo, post primas illicò Miliariae epidemicæ grassationes in Germaniâ septentrionali, tam scarlatina (^v), quam efflorescentia typhi popularis (^w) et morbi

(u) Vide notas (*l. m. n. o. p.*) suprâ.

(v) Plane nihil nisi Scarlatina maligna erant febres illæ epidemicæ quas in *Ephem. Nat. Cur.* Tom 6. append. descripserunt Grunwald (de novâ febre Miliari in celsissimo Alpium Penninarum Bavariæ jugo epidemicè grassante anno 1733,) et Trumphius, (de Purpurâ sive febre Miliari epidemicâ in confiniis Goslariæ in Bavariâ anno 1737.)

A Bisset quoque nostrate celebrata est quasi vera febris Miliaris, Scarlatina maligna epidemica in comitatu Eboracensi anno 1760, vide "a narrative of an epidemick throat distemper and Miliary fever as they appeared in the Dutchy of Cleveland, in 1760."

Eodem ferè modo peccavit M. Simard. *Journal de Médecine* 1786. P. 216.

(w) Vide Historiam febris malignæ quæ in urbe et agro Isenacensi ann. 1759-60-61, epidemicè grassata fuit. (*Nov. Act. Nat. Cur.* 1767.) Historiam quoque morbi Epidemici in circulo Iglaviensi et adjacentibus regni Bohemiæ partibus annis 1771-2. A Sagar, Lips. 1773. Vide etiam *Comm. Literar. Norimb.* 1741, P. 281. Burserium de *Morb. Exanthem.* § 308. n. *Journal de Médec.* 1786. P. 235. Macbride *Theory and Pract. of Phys.* Lond. 1772. § Miliary Fever.

De hoc errore ita Ludwig, "Purpura seu febris Miliaris est morbus exanthematicus veteribus vel ignotus vel non accuratè satis descriptus et a febre malignâ petechiali non satis distinctus." *Instit. Med. Clin.* Lips. 1769.

alii complures^(x) veram Miliariam apud indoctiores audiebant, dum vel solertibus distinguendi inter Miliariam et quosvis alios morbos, cognomen Miliaris ineptè tribuebatur nulli non eruptioni^(y) cui vel minimam similitudinem grana Milii præbebant. Quare non sine curâ quâdam evolvat studiosus scripta medica istius sæculi, ne omnes eruptiones nomine ornatas inter veras Miliarias recenseat; neque minore curâ hodierna legat ne in contrarias partes errans, nullibi veram esse Miliariam existimet ex eo quod in iis vix ullibi commemoratur. Medico itidem ad lectum assistenti cavendum est ne nimium securus Miliariae (quia tunc temporis nulla forsitan sit Miliaria epidemica) correptum Miliaria verâ, laborare vel scarlatinâ vel typho, vel intermittente, vel pleuritide edicat, atque ita simul vitæ ægrotantis, simul famæ suæ periculum faciat. Error hujusmodi facilior est tum propter eruptionem vesicularum aliquando tardiozem, tum propter ipsarum tenuitatem, quâ fallere et visum et tactum medicorum, saltem seniorum, valeant.

Minus igitur mirandum vivere etiamnum litem inter medicos de naturâ ipsâ Miliariae, morbi simul rari, simul exploratu difficilis, et quem auctores diversi sub diversis^(z) nominibus (quorum alia etiam aliis morbis propria) describebant. Ad litem facilius solvendam, cùm historiam morbi ex optimis testibus collatam, tum descriptionem ejus accuratam propriisque observationibus nixam, supra retuli; unde liceat colligere,

1^o Febrem vel graviozem vel mitiozem nunquam non prægredi eruptionem Miliariae.

2^o Vesiculas Miliarias ab omnibus aliis vesiculis distingui posse figurâ et maturatione propriis.

(x) Ex. gr. Pleuritis, (Camerarius ap. Haller, Disp. Med. Tom. 2,) Pneumonia (Baraillon supra citatus ad § 10,) Febris Intermittens (Baraillon, Ibid.) Catarrhus epidemicus (Baker de Catarrho Epid. Lond. 1762. n.) Diversæ cutis eruptiones (Hoffmann. Consult. Cent. 2 et 3. No. 191, et seq. Item Schacher apud Haller, Disp. Med. Tom. 5.)

(y) Scil. Aphthis lactantium (Mém. de la Soc. Roy. de Méd. de Paris, 1787.) Papulis Scarlatinæ (Vogel, Burserius.) Pustulis variolæ minoribus vel nascentibus (Burserius.) Petechiis typhi papularibus (Collin, Storck, Sydenham in Sched. Monitor. Qu.? Ruttý "on the Diseases of Dublin," passim. J. Cheyne, in Cyclop. of Practical Medicine, sub capite Epidemic Gastric Fever.) Vesiculis Herpetis minoribus (Bateman.)

(z) Vide notas ad § 10, supra.

3° Miliariam, cùm genus universum vesicularium, seriem amare eruptionum ordine sequentium, quas nunquam non prægreditur oppressio præcordiorum, sequitur debilitas summa, typhoideæ instar.

4° Miliariam, cùm genus universum vesicularium, haud facilè pati vel evacuantiâ vel fortius stimulantia, poscere vero et rogare tonica leniora, ante omnia aera liberum et peregrinationem.

5° Miliariam regimine calefaciente ali, exasperari, exitiosissimam fieri,

6° Sub regimine tamen quam maximè antiphlogistico efflorescere, et per totam fere vitam quasdam delicatiores persequi.^(aa)

7° Epidemias Miliariaë complures quam accuratè describi a medicis testibus omni fide dignis.

8° Quibusdam regionibus endemicam ^(bb) Miliariam infamem esse cognominibus popularibus, "*Der Friesel*," apud Germanos, apud Gallos vero "*La Svette des Picards*."

His denique argumentis si quis opponat rarius observari Miliariam in nosocomiis puerperarum nunc dierum eventilatis, reponatur, 1° Morbum esse opulentiorum et delicatiorum potius quam in nosocomiis decumbentium: 2° Puerperas plerasque omnes e nosocomiis citius exire quam posse efflorescere ipsam eruptionem, ideòque pauciores in iis numerari Miliarias.

^(aa) Vide § 7. supra. Vide quoque Quin supra citatum. Com. Liter. Norimb. Ann. 1745, pag. 184. Percival (Essays. Tom. 3. pag. 274.) Brocklesby, (Med. Obs. and Inq. v. 4, pag. 28.) Anfauvre, (Hist. et Mém. de la Sociét. Royal. de Méd. de Paris, 1781.) Pujol, (ubi suprâ.) Burserium, (de Morb. Exanth. § 427,) qui rem comprobât et suis observationibus et testimoniis medicorum quamplurimis.

^(bb) Vid. notas ad sectionem 10, supra. Amœnitates quoque Academ. v. 8, pag. 27.